

esse omnino patet. Huiusmodi, enim, divortium, non modo in gravissimam Sacramenti iniuriam, sed et ipsorum coniugum, in miserae prolis, in ipsius civilis societatis, [cuius germen familia est,] interitum et dissolutionem, ut humanae inconstantiae et insatiabili libidini omnia permittantur, diabolice invecum fuisse quotidiana experientia docet!

### Articulus VI.

#### DE EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTO EIVSQUE PECULIARIBUS ADJUNCTIS.

##### § I. — De Extremae Unctionis Sacramento.

SUMMAE RERUM. — 407. Quae huius Sacramenti vis ac efficacia. — 408. Tum ex canonum, tum ex theologiae morum de hoc Sacramento synopsis. — 409. Pastoralia in re praecepta quae sint. — 410. Quoad infirmorum curam ac eorum agoniam quae a Pastore praestanda sint, practica ratione, per partes referuntur ac illustrantur.

407. — Clementissimus Redemptor Noster, qui, quovis tempore, salutaribus suis remediis omnium adversus hostium mortifera tela prospectum esse voluit, quemadmodum in aliis sacramentis maxima auxilia, quibus christiani dum vivunt ab omni graviore spiritus incommodo se integros conservari possunt preparavit, ita Extremae Unctionis Sacramento, firmissimo tamquam praesidio, vitae finem munivit. Quamvis, enim, adversarius aeternus, ut animas nostras quoquomodo devorare queat, per vitam omnem occasiones quaerat et captet, nullum tamen tempus est quo ad nos perdendos suae versutiae nervos vehementius intendat, quam cum vitae exitum nobis impendere perspicit.

408. — Tum ex canonico iure<sup>1</sup>, tum ex morum theologia<sup>2</sup> deprompta synopsis praecedat:

I. Extrema Unctio est « sacramentum Novae Legis, ad moribundos spiritualiter et corporaliter per unctionem olei benedicti et sacerdotis orationem sublevandos, institutum ».

II. Materia Extremae Unctionis remota et necessaria est oleum<sup>3</sup> ex olivis specialiter ab Episcopo benedictum<sup>4</sup> [et quotannis renovandum]; apud Graecos oleum

<sup>1</sup> Cfr. Deshayes et DD. cit.

<sup>4</sup> Trid. XIV, h. t. c. 1 — S. C. Offic. 13

<sup>2</sup> Cfr. Noldin, *Op. cit.*, n. 427 et seq. jan. 1665, 14 sept. 1842, 10 jan. 1850.

<sup>3</sup> Jacob. V, 14.

benedicitur a presbyteris. Materia proxima sunt unctiones corporis, juxta modum et ordinem in *Rituale romano* descriptos<sup>1</sup>.

III. Formula Extremae Unctionis haec est: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per... [hic sensus enuntiatur] deliquisti », toties repetita quoties unctio multiplicatur. Non debet forma terminari antequam unctio fuerit perfecta.

IV. In casu verae necessitatis, unica fieri potest unctio [in fronte] cum praescripta formula: « Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen<sup>2</sup> ». Si aegrotans supervivat, repetendae non sunt unctiones in singulis sensibus, et tantum orationes omissae recitandae<sup>3</sup>. — In dubio an vivat moribundus, ministratur sacramentum sub conditione *si vivis*.

V. Solus et quilibet sacerdos potest valide, solus Parochus aut sacerdos ab ipso delegatus potest licite ministrare Extremam Unctionem. Regularibus, sub poena excommunicationis, prohibetur hoc sacramentum ministrare absque Parochi vel Ordinarii licentia<sup>4</sup>.

VI. Subjectum cui valide ministratur hoc sacramentum est christianus, usum rationis jam adeptus<sup>5</sup>, et in periculo vitae, mortifero morbo, constitutus<sup>6</sup>; — nec iterari debet Sacra Unctio in eadem infirmitate, nisi ita sit diuturna ut, cum infirmus inceperit convalescere, iterum in mortis periculum incidat.

VII. Extrema Unctio nullo jure praecipitur; tenetur tamen Parochus sub gravi<sup>7</sup> illam infirmis, tempore opportuno, regulariter post Viaticum, conferre.

VIII. Non licet Parocho assidue retinere domi sacrum Oleum<sup>8</sup>, excepto casu magnae distantiae ab ecclesia; et tunc servetur rubrica quoad decentem tutamque S. Olei custodiam<sup>9</sup>.

409. — Ad rem pastoralia monimenta audiantur:

a) Extremae Unctionis sacramentum, tamquam coelestis medicina a Christo Domino institutum, non animae tantum, sed, aliquando, etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus administrandum esse, *Rituale Romanum*, amplissime docet<sup>10</sup>.

b) Docendi sunt fideles *gravissime peccare eos qui illud tempus aegroti ungenti observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Constat, enim, ad uberiores Sacramenti gratiam accipiendam, plurimum valere si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur*<sup>11</sup>.

c) Ut autem ad id facilius Parochi perveniant, ut falsam illam

<sup>1</sup> Tit. V, cap. 2.

<sup>7</sup> Id. ibid.

<sup>2</sup> S. Offic. 25-26 april. 1906.

<sup>8</sup> Cfr. pag. 273.

<sup>3</sup> Cfr. *Monit. eccles.* XIX, 232.

<sup>9</sup> S. R. C. 16 dec. 1826, 31 aug. 1872, 22 juin 1892.

<sup>4</sup> Const. *Apostol. Sedis* § 2, 14.

<sup>5</sup> S. Alph. VI, 717.

<sup>10</sup> Cfr. in tit. *De Extrem. Unct.* n. 1.

<sup>6</sup> Benedict. XIV, *Ex quo*, 1 mart. 1756

<sup>11</sup> Catechism. Roman. *De Extrema*

§ 44.

*Unct.* II, VI, n. 9

opinionem, qua plerique hoc sacramentum quasi supremam horam pretendat, vel etiam acceleret, sibi suisque reformidant, ex fidelium animis evellere conetur. Non, enim, [ut diximus] ad animae tantum, sed etiam ad corporis salutem, hoc sacramentum institutum fuisse, Jacobus<sup>1</sup> testatur Apostolus.

d) Ad nonnullorum praecavendam negligentiam, ut quum aliquem in paroecia aegrotare contigerit, praesertim si morbus sit gravis, ipsum statim admoneant, paroecianos suos Pastor adhortetur. Quomodo, enim, opportunum subsidium aegrotanti aut morienti ferri poterit, si eius urgens necessitas ac angores Parochus ignoraret? At, saepe nimis, dum adeo de corpore perquam solliciti Parentes sunt, ut de et in minimis et interdum futilibus rebus, salutaris artis peritum statim advocent, quoad animam vero, nonnisi, quum sensibus destituatur infirmus sacerdotem adsciscunt! Ad rem [in quantum licet] bonam cum medico inire ac servare consuetudinem valde iuvabit; cui [dum licet] ut suo in re conscientiae officio satisfaciatur, nimirum, infirmi Parentes de eius mortis periculo, et si res postulat, et Parochum monendos esse ei, perquam prudenter, recolere iuvabit. Si vero et opportuna medici ad infirmi Parentes adhortatio accesserit, quamplurimum proderit; enimvero, saepe nimis, eius monumenta uberiores fructus quam sacerdotis illa afferre consuescunt.

e) Quoad pueros ac infantes, nuperrima et gravissima in re SS. D. N. Pii PP. X, iam recolta monumenta, extant:

Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant<sup>2</sup>.

410. — SS. mum Viaticum ac Extremam Unctionem quum infirmo administraverit, se omni officio suo satisfecisse ne putet Pastor Bonus. Si eius, enim, sollertia in prospera valetudine certantibus ovibus prodesset, at in mortis adveniente tempore [in quo de salutis summa agitur et laborum suorum reportandus est fructus] debitis necessariisque adiumentis illos desereret, parum ipsis proderit. Hac ratione insipientis illius mercatoris exemplum sequeretur Pastor, qui, ubi diuturno tempore magnos inter sudores, pericula aerumnasque, aestus inter et frigora, non leve auri pondus congressisset, quia, tamen iam partum, adeo incaute custodiret ut laborum omnium fructum, una latronis manus auferret et secum deportaret. Ex quo si tot annorum operam perdere et pretiosum Christi pro animarum salute libenter effusum Sanguinem,

<sup>1</sup> V, 14.

<sup>2</sup> Decret. *Quam singulari* cit. n. 9.

in quantum in se est, vanum esse Pastor nolit, qualis sollicitudo et vigilantia, tunc temporis adhibenda sit, ipse colligat. Igitur:

a) Corporis cura aliis relicta, soli animae saluti Pastor vigilet, ac licet perceptis sacramentis ad aeternitatis ineundam viam infirmi sint dispositi, nullo pauperes inter et divites discrimine facto, etiam non vocatus, non tam frequenter, quam assidue, eos invisat<sup>1</sup>. Enimvero inter caritatis officia quae aegrotantibus et morientibus omnibus maximo existunt adiumento, frequens ad ipsos accessus, cum sedula eorum cura, in Pastoris munere primas partes obtinet. Ideo, enim, Pastor dicitur ut, boni pastoris iuxta consuetudinem, infirmas visitet oves earumque spirituale bonum provideat; ideo animarum medicus ipse dicitur, cuius non bene, sed male habentibus opus est. Suas, igitur, oves Pastor amet, et tam sollicitus officiosusque earum curator sit, ut difficultatem omnem [quae ex inani contagionis, vel ex sordibus et morborum foetoribus oriri potest] nullo negotio, de medio auferat.

b) Suis in visitationibus, opportunis adhibitis argumentis, in piis animae dispositionibus infirmus confirmet, quin eum conturbet. Qua in re, tum a se, tum a circumstantibus strepitus, sermones inutiles, interrogationes nimias, facetias, risus, spiritualis lectionis protractionem et, praesertim, quidquid eius mortem proximam spectat, sedulo cavebit Pastor<sup>2</sup>. — Si autem de ultima rerum temporalium dispositione sermo incidat, ad forenses avertendas lites et familiares inter concordiam tutandam, ut huic infirmus consulat ei suggerat. Sed [iterum iterumque admonemus] ne huic negotio temere se ingerat, vel pia legata sive in proprium, sive in suae ecclesiae commodum, aut etiam ad ipsius infirmi post mortem solacium, extorqueat, nullo modo nullaque ratione pertentet. — Insuper si testamenti exsecutoris munus sedulo Parochus devitaverit, ecclesiasticis omnibus, sibi, ministerio suo, sacerdotalique universo coetui, complurimas et graves calumnias, perquam prudenter, adimet.

c) Appropinquante agonia, fidem, spem, patientiam et liberam mortis susceptionem, necnon misericordiam divinam, theologiarum virtutum, sanctorum intercessionum et frequentiorum SS. Nominis Iesu invocationem actus excitando, contra irruentes tentationes infirmum premuniat Pastor. Christi ac B. M. V. Imagines eius in conspectu collocandae, ac identidem ab eo deosculandae et piae preces iaculatoriae identidem suggerendae erunt. — Postremo vero appropinquante agone, dummodo adhuc fieri possit, denuo ad confessionem, vel saltem ad contritionem infirmum disponat, et, absolutione concessa, plenariam bene-

<sup>1</sup> Cfr. *Instruct. Eystettens.* n. 70.

<sup>2</sup> Cfr. Berardi, *Op. cit.* n. 219.

dictionem apostolicam in *articulo mortis*<sup>1</sup> [nisi prius iam data sit, quod consulendum esse videtur] impertiatur. Enimvero etsi mors non adhuc immineat, sed infirmus non ipso in mortis versetur *articulo*, sed tantummodo in *periculo*<sup>2</sup>, haec benedictio impertiri potest. Ad rem:

I. Indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite, ex gr. confraternitatis, habentibus pluries impertiri vetitum<sup>3</sup> est.

II. Nec in eadem infirmitate cum mortis periculo coniuncta, etsi diuturna<sup>4</sup>, repetenda benedictio est, etsi forte, in peccati mortalis statu cum agrotans acceperit<sup>5</sup>. Invalida erit si omittatur formula a S. Pontifice praescripta<sup>6</sup>.

III. Si vero infirmus convalescit ac, quacumque de causa in mortis periculo iterum incidit<sup>7</sup>, iterum benedictionem accipere infirmus potest.

IV. In casu dubii positivi de iis quae ad valorem requiruntur, benedictio sub conditione iteranda est. Neque ab hoc sancto beneficio pueri excludi possunt, quamvis ad SS. mam Eucharistiam ac confessionem sacramentalem mundum admissi fuerint<sup>8</sup>, quod post nuperrimas editas [ac mox recolitas] pianas ordinationes contingere nec potest, nec debet.

V. Sacerdoti cuilibet conceditur facultas impertiendi apostolicam benedictionem religiosi mulieribus in articulo mortis constitutis<sup>9</sup>.

VI. Ad lucrandam indulgentiam plenariam *in morte*, sufficit semel in vita [postquam quis, in die ad hoc eligendo, accesserit ad poenitentiae et eucharistiae sacramentis] sequentem actum emittere: *Domine Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout tibi placuerit cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio*<sup>10</sup>.

d) Quoad commendationem animae quae moribundo praestare debeat Parochus, satis superque *Ritualis* docet *Romanus*<sup>11</sup>, e cuius vel apice, nemo tunc praecipue discedendi fas sibi debet habere.

e) Statim ac postremum aegrotans emiserit spiritum, piisque in eius animae suffragium preces effuderit, donec medicus de cessu testimonium redigat, et Officialis civilis visitatio locum habuerit, ne quomodocumque tum familiares, tum adstantes defuncti cadaver attricare audeant, admonebit Parochus. Neque, defuncti faciem quoquomodo velare illis licitum; quum qui defunctum putatur, eum apparenti tantum morte laborare fieri potest, enimvero praeter inceptam corruptionem, nullum certissimum haberi posse mortis indicium, rerum physiolo-

<sup>1</sup> Cfr. Benedict. XIV, *Pia Mater*, 5 april 1747.

<sup>2</sup> S. C. I. 19 dec. 1885. — Cfr. *Monitore*, IV, n. 8.

<sup>3</sup> S. C. R., 5 februar. 1841 et 12 mart. 1855.

<sup>4</sup> Ead. 23 sept. 1775, et 12 mart. 1855.

<sup>5</sup> Ead. 20 jun. 1836.

<sup>6</sup> Ead. 5 febr. 1841.

<sup>7</sup> Ead. 12 febr. 1842.

<sup>8</sup> Ead. 16 dic. 1826.

<sup>9</sup> Ead. 1 april. 1909.

<sup>10</sup> S. D. N. Pius PP. X, per S. C. Indulg., 9 mart. 1904.

<sup>11</sup> Tit. V. c. 6, n. 7.

gicarum cultores unanimiter sentiunt<sup>1</sup>. — Tum medici, tum civilis Officialis habita opera, defuncti curare corpus familiares poterunt, et ut mares maribus, feminae feminis, sacerdotes sacerdotibus hoc praestent, invigilet Parochus. — In fidei symbolum cuius lumine illustrabatur defunctus, quo tempore tum domi, tum alibi cadaver insepultum maneat, ut ad eius caput aliquod apponatur lumen, Pastor curabit. Calix, vero, dum modo missae minime inserviat, ubi consuetudo ferat, supra defuncti pectus, loco parvae crucis, poni postest<sup>2</sup>. — Parochus in communibus adiunctis, nisi post viginti quatuor horis, et duplas in morte subitanea, cadaver a domo exportabit, ne [ut apud complurimas habetur Gentes] civiles contra leges peccet, et ut *Rituali Romani* praescriptis admussim paret<sup>3</sup>.

## § II. De quibusdam in infirmorum visitatione prudentialibus servandis industriis.

SUMMAE RERUM. — 411. Quae in re prae oculis habenda ac sedulo servanda consulantur. — 412. Infirmorum cura cuius sit.

III. — Ad aegrotorum adsistentiam quod attinet, peculiariora quaedam boni Pastori recolenda supersunt, quae, cum praxim spectent, haud parvi momenti faciendae sunt. — Igitur:

a) Ordinariis in adiunctis, Parochus ille qui, ut sese quantocius ab infirmi adsistentia expediat, nulla probabili ductus ratione, adeo omnia festinaret, ut Viaticum, Extremam Uctionem, *in articulo mortis* absolutionem, et animae commendationem una simul infirmo impertiret, ac deinde aegrotum haud amplius inviseret, quantum contra Ecclesiae mentem suumque munus ageret, nemo satius aestimaverit. Haec, enim agendi ratio his dissitis montanis in locis, ubi unus forsan tantum sacerdos pluribus consulere debet, excusari potest; at coeteris in casibus si quis ita se haberet, suo muneri se deficere pro certo habeatur. Quapropter adeo cum infirmis se gerat Pastor, ut [dum tempus sinit] gradatim ad aeternitatem ipsos parando ac *Rituali Romani* vestigiis fideliter inhaerendo, eorum animam, ut ita dicam, e corpore exeuntem manibus propriis recipiat, ac sanctae immarcescibilisque aeternitatis ianuam ipse aperiat, in qua Angelorum chorus festanter eam suscipiat.

<sup>1</sup> Cfr. Ferreres, *La muerte real y la muerte aparente con relacion a los Santos Sacramentos*. Madrid, 1904; Carrara, *Lezioni di medicina, legale fatte nella R. Università di Torino*, cap. *Tanatologia*.

<sup>2</sup> S. R. C., 8 jun. 1899.

<sup>3</sup> Cfr. Berengo, *op. cit.*, n. 169. — Cfr. docum. XXXVI ad calc. vol.

b) In magnis praesertim civitatibus, cum diurno, et praesertim, nocturno tempore ad infirmos advocetur Pastor, ut plurimum, aedituo vel alio probo viro comitetur, ne nefandis improborum hominum insidiis miserrima praeda fiat. Ex infirmorum adsistentia complurimas hos adversus sacerdotale bonum nomen capessere insidias, in comperto est, qui si Parochus, vel sacerdos cum alio proficisci sciverint, quae patrare intendunt, neque incipere audebunt<sup>1</sup>. Quae praesertim cum infamiae domibus ire necesse sit a sacerdotibus praestanda; quo in casu industrias omnes quibus dum aliarum animae consulunt, suspicionibus seipsos haud obnubilant sacerdotes curandum profecto est.

c) Dum suae caritatis in *spiritualibus* infirmo impendit operam attamen in *corporalibus* caute procedat Pastor. Igitur:

I. Ad infirmi visitationes quod spectat eorum tantum necessitati vel evidenti utilitati consulatur ac numquam diu, ac [nisi conscientiae ratione] numquam solus, praesertim cum feminis Pastor erit.

II. Ordinariis in adiunctis et quum medicus facile adscisci potest, eius partes Pastores ne sibi usurpent quam maxime consulendum. Neque adversus medici ordinationes aliquid mussitare, et, eo minus, diversum praescribere pharmacum ipsi audeant. De perquam periculosa, enim, reagitur heic, qua non tantum pastoralis muneri praevalidum detrimentum comparari, sed, et contra leges civiles peccari potest.

III. Neque in morbi indagandis fasibus, [praesertim si de femineo agatur sexu, et de salebrosis quibusdam infirmitatibus sermo sit] rem nimis urgeat Pastor, qui si inibi immoderate se habebit, nil nisi sacerdotalis boni nominis iacturam assequetur. Animarum medicus cum sit, corporum curam coeteris relinquat, quo, dum prudentiae legibus satisfacit, et sacris [alibi recensitis] canonibus pareatur.

IV. Nunquam vero talia infirmis praestet opera, ex quibus in alios suspicionem, sibi que spirituale periculum comparet. Si, igitur, adsistentia ipsi careant, ut piis in locis suscipiantur, vel a piis personis curentur Pastor satagat; at nullo modo nulla que ratione haec officia, praesertim femineo sexui, praestare ipse audeat. Quod sub silentio praetermiserimus si graves plurimorum DD. in re animadversiones haud desiderarentur<sup>2</sup>.

d) An infirmis aliquid materialis emolumenti in sua visitatione directe ac consueto Parochum afferre deceat controversatur. Si vero nostram in re proferre sententiam licet, quum ex adiunctis

<sup>1</sup> Cfr. Frassinetti, *op. cit.*, Par. II, Append. I, n. 6.

<sup>2</sup> Cfr. Eund. *Theolog. Moral. Trac. De Confess.*

omnia pendeant, generalem in hoc praestituere normam minus prudens videtur. Quaestuationis scopulum dum Parochus heic quoque devitat, ne et alii in eundem impingant cavere debet, et pauperes infirmos adiuvari, quin hac de re suspicio et periculum suboritur occasionibus studioso Pastori profecto haud desunt.

c) Quamvis, peste, cholera vel simili alio grassante morbo, sacramenta ad salutem tantum necessaria [baptismum nempe, ac poenitentiam] fidelibus suis administrare teneatur Pastor, attamen qui suo in pectore genuinum erga ipsos studium fovet, et his quoque in adiunctis, immo praesertim heic, personalem suam operam, saltem ex caritate, ipsis impendere novit. Has omnes adhibere cautelas quibus litem haud ipse contrahat ne coeteris deinde communicet, non solum convenit, sed omnino expedit. Disinfectantibus [quae in commercio complurima habentur] utatur ipse, ad aegrotum ne nimis appropinquet, eum ne tangat, inter ignem et infirmum ne sese ponat [ignis, enim, alium attrahit], quandam peculiarem, si fieri potest, vestem [deinde exuendam, vel mutandam] induat, manus ac faciem semper cum disinfectantibus diligenter abluat, et similia. At hos deserere infirmos, vel tantummodo quae ad salutem necessaria sunt eis administrare, et in reliquis sese abscondere mercenarii est *qui videns lupum fugit*<sup>1</sup>. Sed haec omnia bono Pastori, qui suas in oves ardentissimo flagrat studio, recolere vanum est. *Amor, enim, si est, operari non renuit, et si operari renuit, amor non est*<sup>2</sup>; et dilectis pro ovibus vitam amittere, nil carius, nil suavius bono Pastori est, qui [Divini Salvatoris ad instar] animam suam pro ovibus ponere, gravissimo conscientiae officio, adstringitur. Apostolus proinde, numquam ac nullo modo mercenarius ipse sit!

412. Infirmorum cura non tam Parochi personalis censeatur ut haud per alios ipsi satisfieri possit. Attamen si semper Coadiutorum opera in re uteretur ipse, aut, quod peius, divitum illam tantum ac in qua nullum adsit periculum sibi reservaret, proprio deesse muneri pro certo teneat. Ceterum, inter infidelis Pastoris peccata illud quoque Divina Sapiencia ipsis imputavisse: *Vae! Pastoribus qui quod infirmum erat non consolidastis, quod aegrotum non sanastis*<sup>3</sup>, legimus scriptum. *Non te pigeat, igitur, visitare infirmum, ex his enim* [Pastores meminerint] *in dilectione firmaberis*<sup>4</sup>, quo dilecto gregi carus, eius in bonum, perplura, ad majorem dei gloriam, nullo negotio, assequeris. Faxit Deus!

<sup>1</sup> *Joan.*, X, 12.

<sup>3</sup> *Ezechiel.* XXXIV, 4.

<sup>2</sup> S. Gregor. Magn., *Moral.*, lib. IV, cap. 3.

<sup>4</sup> *Ecles.*, VII, 39.